

**XXXVI**

GRATVLATVR PLOTIO NUMIDAE AMICO SVO OB REDITVM IN PATRIAM

*Glyconico-Asclepiadens*

Et tūre et fidibus iuvat

Plācāre, et vitulī sanguine dēbitō

Cūstōdēs Numidae deōs ;

Quī nunc Hesperīā sōspes ab ultimā

Cārīs multa sodālibus,

Nūllī plūra tamen dīvidet ōscula

Quam dulcī Lamiae, memor

Āctae nōn aliō rēge puertiae,

Mūtātaeque simul togae.

Crēssā nē careat pulchra diēs notā ;

Neu prōmptae modus amphorae,

Neu mōrem in Salium sit requiēs pedum ;

Neu multī Damalis merī

Bassum Thrēiciā vincat amystide ;

Neu dēsint epulīs rosae,

Neu vīvāx apium neu breve līlium.

Omnēs in Damalin putrēs

Dēpōnent oculōs ; nec Damalis novō

Dīvellētur adulterō,

Lascīvīs hederīs ambitiōsior.